

ne principiorum, et cognitio mediorum ex cognitione finis, dicitur, quod una cognitio procedit ex alia ut ex inferente, non ut alliciente, vel metaphorice movente, quæ est propria, et formalis motio finis in quantum finis. In definitione autem voluntarii cum dicitur, quod procedit cum cognitione finis, intelligitur in sensu formali, et proprio, scilicet cum cognitione finis, ut movente metaphorice: quia hæc est propria finis, qui movet tamquam bonum, et non tamquam verum. Una autem cognitio si oritur ex alia, oritur ab illa in ratione veri, non in ratione boni. Quod ergo procedit a principio intrinseco cum cognitione finis moventis per modum finis, et boni, et non solum per modum veri, ad solam voluntatem pertinet; ideoque optime explicat definitionem voluntarii. Et in illam recidit alia definitio voluntarii, quod est a principio intrinseco cognoscente singularia, in quibus est operatio. Explicatur enim per ly cognoscente, cognitio practica directiva, et inclinativa ad agendum: et hæc semper fit cum motione finis, et boni.

XVI. Ad secundam probationem dicitur, quod actus supernaturalis procedit a principio intrinseco, scilicet a voluntate, non tamen sola, et nuda, sed elevata, et supernaturalizata per aliquid intrinsece inhærens ipsi voluntati, infusum tamen, et procedens a Deo, non ab ipsamet voluntate ortum. Nec enim ut actus sit voluntarius requiritur, quod omne principium ita sit intrinsecum, quod etiam ex omni parte ab intrinseco proveniat: nam etiam in ipso intellectu cognitio est actus vitalis ab intrinseco principio procedens, et tamen etiam dependet a specie impressa, quæ ab extrinseco provenit: imo ipsa voluntas, et ipsa anima, quæ sunt principia maxime intrinseca procedunt a Deo, ut a

principio extrinseco effectivo. Ut enim dicit S. Thomas in presenti articulo primo, licet voluntas sit principium intrinsecum voluntarii, non tamen est principium primum, sed derivatum, et dependens a principio primo, quod est Deus, ideoque tam in suo esse, quam in suo operari debet a principio extrinseco moveri. Neque hoc est contra rationem principii intrinseci, quia potest esse intrinsecum, et tamen dependens, et procedens ab aliquo extrinseco. Sic ergo principium supernaturale est quidem infusum a Deo, tamquam a principio extrinseco elevante intrinsecum, et sic intrinsece inhæret voluntati, eamque afficit, et ex ipsa sic affecta, et elevata procedit actus vitalis supernaturalis, et voluntarius, quia revera procedit a principio intrinseco, licet elevato ab aliquo extrinseco elevante, et movente, et conservante.

XVII. Ad tertiam probationem respondetur, quod in illo casu voluntas non reddetur volens per talem actum formaliter, sicut neque intellectus reddetur intelligens per conceptum alterius hominis sibi a Deo unitum: quia solum sustentabit illum entitative, et physice, non vitaliter, quia non habet illum, ut actum procedentem a se, sed sicut sustentantur alia accidentia etiam in subjecto non vidente. Unde voluntas solum denominabitur sustentans entitatem illius actus, qui a voluntate aliena processit, non autem denominabitur volens, quia istæ denominationes actuum vitalium, ut esse cognoscentem, volentem, etc. non denominant subjectum per nudam, et inanimatam inhærentiam formæ in subjecto, sed per informationem vitalem, id est, per informationem actus, ut procedentis a tali potentia, et subjecto: sicut etiam non denominatur aliquis agens, aut generans, nisi actio a se

procedat, licet passive talis actio in quantum motus inhæreat in passo. Sicut etiam si Deus poneret gratiam, vel intellectionem in lapide, non denominaretur lapis justus, aut intelligens, sed solum sustentans gratiam, vel conceptum, quia non est capax alterius effectus formalis, quia exigit vitalitatem, ut denominare possit: et species visibilis in aere inhæret illi entitative, non repræsentative. Sic ergo actus alterius voluntatis si ponatur inhærenter in mea, non denominabit me volentem, quia non procedit vitaliter a me, sed solum denominabit illam sustentantem entitatem illius actus.

XVIII. Ad id quod dicitur de motibus subitis, qui inspirantur a Deo, respondetur quod illi actus dicuntur causari a Deo, ut a movente extrinseco, non tamen ut ab eliciente: vere enim et proprie eliciuntur, et procedunt ab intellectu, et voluntate, cum sint actus vitales cognoscendi, et appetendi, sed tamen quia sunt primi actus, et pro tunc non supponunt alios priores, per quos intellectus, et voluntas se moveant, ideo oportet quod a solo Deo moveatur, et inspiretur voluntas non solum determinando, et applicando ad operandum, sicut fit per physicam prædeterminationem in quocumque actu, sed etiam ad ipsam speciem actus movendo, et excitando: tamen ipse intellectus, et voluntas tali moti subjecta vere elicit, et vitaliter producit tales actus, quia ad hoc movetur a Deo ut eliciat illos, quia movetur ut potentia vitalis, et ut vitaliter operetur.

XIX. Ad ultimum respondetur, quod voluntarium non solum est illud, quod reddit objectum volitum, si ly volitum sit idem quod amatum, et prosecutum; non enim solum appetitus amat et prosequitur, sed etiam odit et fugit. Voluntarium

ergo in communi, ut abstrahit ab amore, vel fuga, solum dicit aliquid procedens a voluntate, per quod possit objectum denominari affectum a voluntate, sive amando, sive fugiendo. Et si hoc affectum a voluntate velimus appellare volitum, debet esse in significatione ita ampla, quod sub se complectatur etiam esse nolitum. Et sic ad rationem voluntarii non debet attendi ipsa denominatio voliti, ut distinguitur a nolito, sed solum debet attendi, quod sit procedens a voluntate, sive prosequendo, sive fugiendo. Nec obstat, quod hac ratione nihil dicitur involuntarium, nec ex parte actus, nec ex parte objecti; non ex parte actus, quia omnis actus elicitus procedit formaliter a voluntate, et consequenter est illi voluntarius. Nec ex parte objecti, quia objectum semper redditur affectum, non autem illi repugnans, et involuntarium. Respondetur tamen, quod involuntarium dicitur non respectu actus immediate elicitum, sed respectu effectus secuti, vel objecti: quando enim aliquid displicet voluntati, et involuntarium illi est, non displicet actus ipse quem elicit, sed per illum actum abominatur objectum, vel effectum secutum, aut actum imperatum. Et sic objectum displicet, non actus displicendi, sed solum displicet, et est involuntarius, ut quo, non ut quod, seu ut res displicens.

ARTICULUS II.

Quid sit voluntarium perfectum, et imperfectum; necessarium, et liberum?

I. Cum voluntarium dicatur id, quod a voluntate procedit, et dirigitur, seu regulatur per cognitionem, necesse est explicare unde proveniat perfectum, et imperfectum vo-

luntarium, et quid sit necessarium, et quid liberum in tali voluntario.

II. Dico ergo primo: Voluntarium perfectum, et imperfectum originative, et primordialiter distinguuntur ex parte perfectæ, vel imperfectæ cognitionis, seu iudicii regulantis inclinationem appetitus. Itaque ex duobus, quæ ad rationem voluntarii concurrunt, scilicet principium intrinsecum quod est voluntas inclinans, a quo aliquid procedit, et cognitio, seu iudicium regulans, seu movens, perfectio, vel imperfectio voluntarii ex perfectione, vel imperfectione cognitionis desumitur. Colligitur hæc conclusio ex D. Thoma in præsentis articulo secundo, ubi ex sola perfecta, vel imperfecta cognitione finis distinguit voluntarium perfectum, et imperfectum. Et ratio est manifesta, quia hoc quod est esse a principio intrinseco, convenit tam voluntario, quam naturali; nam etiam quod naturale est, a principio intrinseco movetur, si quidem in hoc opponitur violento, quod est a principio extrinseco: ergo propria, et specialis perfectio voluntarii, ut distinguitur a naturali, non potest sumi ex illa parte, qua a principio intrinseco est præcise, hoc enim etiam convenit naturali, sed pro ea parte, qua est a cognitione finis, et est proprium voluntarii, seu appetitus eliciti, in hoc enim distinguitur appetitus elicitus ab innato, quod innatus sequitur formam entitativam, et naturalem; elicitus vero cognoscitivam: voluntarium autem pertinet ad appetitum elicitem. Ergo major perfectio voluntarii secundum id, quod proprium est voluntarii ex majori perfectione cognoscendi finem, et movendi ex fine cognito debet desumi.

III. Et confirmatur, quia voluntarium tanto debet esse perfectius, quanto magis procedit a principio

magis se movente, cum enim unumquodque moveatur secundum quod est in potentia, moveatur autem secundum quod est in actu, quanto magis aliquod principium se movet, tanto magis est in actu: ergo id, quod ab illo procedit, tanto perfectius procedet, quanto a principio magis se movente processerit, quia sic erit minus motum, et magis se movens, et consequenter magis in actu, et consequenter magis se determinans, et minus determinatum ab alio. Diximus autem in præcedenti articulo, quod illud magis se movet, et determinat, quod non solum se movet in genere causæ efficientis, sed etiam ex parte finis, scilicet præstituendo sibi finem, non ab alio præstitutum sequendo: finis autem cum moveatur metaphorice, movet et præstituitur mediante cognitione ipsius finis; ergo quanto perfectior fuerit cognitio in movendo ad finem, et in præstituendo finem, tanto perfectius erit voluntarium inde procedens, quia tanto magis erit a principio se movente, et se determinante, et consequenter magis erit a principio se movente, et se determinante, et consequenter magis in actu operante. Quare ex ordine ad perfectiorem cognitionem iudicii, quatenus directivum, et motivum est appetitus, sumitur perfectior ratio voluntarii substantialiter; et intrinsece, licet quoad alias conditiones accidentales, verbi gratia quoad vehementiam, et impetum se movendi aliquando fortior sit impetus, ubi est minor cognitio. Sed hoc ipsum pertinet ad perfectionem voluntarii, quod possit moderari suum impetum, et actum proprium, nisi ratio oppositum postulaverit, sicut in diligendo Deum modus est non habere modum, ut inquit Bernardus.

IV. Dico secundo: Voluntarium perfectum solum invenitur in na-

tura intellectiva, seu rationali, consistitque in processione a voluntate cum plena advertentia, et collatione eorum, quæ agenda sunt, quod est plene cognoscere finem cum respectu, et comparatione finis: non tamen in omni actu voluntatis, aut intellectus invenitur hoc perfectum voluntarium. Prima pars constat ex D. Thoma in hac quæstione, articulo secundo citato, in fine corporis, ubi concludit: « Unde soli naturæ rationali competit voluntarium secundum rationem perfectam. »

V. Et ratio est manifesta ex dictis, quia perfectum voluntarium est illud, quod regulatur penes cognitionem perfectam finis, et ex illa deducitur: perfecta autem cognitio finis exigit non solum apprehensionem de ejus bonitate, sed etiam de indifferentia, et proportionem ad media, ita quod non sufficit absoluta apprehensio, et determinata ad unum quantumcumque intensa et clara, sed etiam comparativa et respectiva, quia ad finem non solum pertinent ea, quæ absolute habet in se, sed quæ comparative, et respective ad alia, et si totum hoc non apprehenditur, non perfecte apprehenditur, sed solum quantum ad aliquid. Cognitio autem cum comparatione, et collatione proprie solum invenitur in natura rationali, quia sola potest comparisonem facere ex uno ad aliud, et conferre inter se, et inferre: hoc enim pertinet ad discursum, qui tantum invenitur in natura intellectiva: in nobis quidem formaliter, quatenus ex una cognitione procedit ad aliam, et ex una cognitione causatur alia; in Angelo autem eminenter et virtualiter, quatenus cognoscit unum objectum inferri ex alio, aut comparari cum alio, non tamen pluribus cognitionibus id facit, sed unica comprehendendo totum objectum,

quod est virtualiter, et eminenter habere discursum. Et sic voluntarium perfectum est illud, quod regulatur per cognitionem finis perfectam, id est, non solum apprehensivam bonitatis ejus in se, et cum determinatione ad unum, sed etiam collativam, et comparativam ipsius, et respectum ejus tam ad media, quam ad alios fines.

VI. Et confirmatur totum hoc, quia perfectum voluntarium debet esse illud, quod habet dominium, et se potest movere, aut detinere in eo, quod agit. Naturaliter enim, quod solum servit, et exequitur, et movetur est inferius, et imperfectius eo, quod dominatur, et se movet, et agit: sed dominium, et potestas se movendi petit indifferentiam, et universalitatem, atque extensionem in cognitione finis, et collationem comparativam illius, quod autem est tantum determinatum ad unum quantumvis intensum, et vehemens solum servit, et movetur, non vero se movet, neque habet dominium; ergo hoc est voluntarium imperfectum, et solum illud perfectum.

VII. Secunda pars conclusionis probatur, quia in natura rationali, cum procedit de imperfecto ad perfectum, dantur aliqui actus subiti, et indeliberati, de quibus non potest ratio conferre, et determinare, quia non habet plenam advertentiam, et indifferentem cogitationem circa illos, et ita carent merito, vel culpa: ergo tales actus non sunt perfecte voluntarii, quia non procedunt ex plena, et perfecta advertentia et indifferentia.

VIII. Dices: Voluntas habet perfectam rationem voluntarii circa ipsum finem, si quidem potest esse voluntas de fine cum plena, et perfecta advertentia, et libertate, imo et cum merito; sicut Angeli in primo actu dilexerunt Deum, ut finem, et meruerunt: et similiter Christus

Dominus in primo instanti habuit dilectionem Dei ut finis, cum vera libertate contradictionis, et cum merito; et tamen circa finem non datur deliberatio, quia deliberatio, sicut et consilium, solum est circa finem, ut docet D. Thomas infra quæst. xiv, articulo ii. Et ratio est manifesta, quia consilium, et deliberatio debent procedere ex aliquo principio certo, et fixo, tamquam ex fundamento; principium autem in appetibilibus est finis; ergo circa ipsum finem non datur deliberatio, neque consilium, quia non supponitur aliud principium, ex quo procedat ad deliberationem circa istum finem. Quod si datur, et procedit ab illo ad deliberandum de tali fine, non erit deliberatio ad ipsum finem sub ratione finis, sed in quantum est medium, vel aliquid deducitur ex priori fine: ergo non requiritur ad voluntarium perfecta deliberatio. Unde non caret difficultate id, quod dicit D. Thomas in præsentis articulo secundo, quod voluntarium perfectum sequitur perfectam cognitionem finis, prout apprehenso fine potest aliquis deliberans de fine, et de his, quæ sunt ad finem moveri, vel non moveri in finem: constat enim quod de fine non est deliberatio, nec consilium, sed de his, quæ indigent resolutione, quia dubia sunt, et ita de istis consiliamur, an expediant; et ita in deliberatione proceditur ex aliquo fine præsupposito, et certo ad resolvendum id, quod dubium est; ergo repugnat, quod de ipso fine sit deliberatio, nisi ex alio priori fine procedatur, quod cum non possit esse in infinitum, oportet sistere in aliquo, circa quem non sit deliberatio, et tamen libere possit amari, et cum perfecto voluntario.

IX. Respondetur concedendo majorem, quia circa finem potest dari perfectum voluntarium, et li-

bertas saltem quoad exercitium; et ex parte ipsius actus, quia potest velle hoc actu, vel illo, si finis proponatur cum plena advertentia: et distinguendo minorem; de fine non potest esse deliberatio terminative, et consummative, concedo; initiative, et per modum principii deliberationis, nego: hoc est dicere, motus deliberationis quo voluntas procedit de uno in aliud, et se ipsam movet de uno objecto in aliud, non terminatur in amorem finis, quia ex fine incipit voluntas amorem suum, non ex alio priori objecto amato movetur in finem, nec enim datur aliud prius fine in intentione; sed tamen initiatur ex illo, quia ex amore finis movetur voluntas in amorem mediorum, si quidem amat illa gratia, et amore finis: unde si procedat voluntas cum plena advertentia erga finem, potest erga illum habere voluntarium perfectum, et liberum saltem libertate contradictionis, et quoad exercitium; et sic voluntarium perfectum semper dicit deliberationem, vel initiative, quando est motus circa finem, quia a fine incipit se movere voluntas: vel terminative, et consummative, quando est circa media: sicut etiam motus cordis, qui est primus motus vitæ in animali dicitur motus vitalis, non quia ex alio priori motu procedat, cum sit primus, sed quia est principium, unde animal incipit se vitaliter movere, et ita est motus vitalis initiative.

X. Ex hoc autem explicatur sensus D. Thomæ quando dicit, quod deliberans de fine, et de his quæ sunt ad finem, potest moveri, vel non moveri in finem. In quo dicto explicando multi se torquent. Sed videtur facilis explicatio, quod deliberans de fine deliberatione quasi initiative, de mediis autem deliberatione consummata et perfecta, potest moveri, vel non moveri in fi-

nem libertate contradictionis, et exercitii, in quo sensu nulla est difficultas. Vel secundo, potest aliquis deliberare de fine non quantum ad ipsam rationem formalem finis in communi, et formaliter sumpti, quod est bonum conveniens ut sic, de hoc enim nulla est deliberatio, quia nulla est dubitatio: bonum enim omnes appetunt sine deliberatione, quia omnibus est formalis ratio appetendi, sed tamen potest esse de liberatio de fine materialiter sumpto, quia non semper sumus certi, sed possumus dubitare, et consequenter inquirere, et deliberare in qua re inveniat talis finis, et de hoc potest esse deliberatio; sicut omnes desiderant beate vivere, sed in qua re inveniat ista beatitudo multi dubitant, an in divitiis, an in voluptatibus, an in Deo. Et multi desiderant vitam recte instituere, sed an ista vita sit eligenda in cœlibatu, vel in matrimonio, vel in studio, vel in militia, deliberationi subjicitur.

PERFECTUM VOLUNTARIUM, ET FORMALE LIBERUM NON COINCIDUNT.

XI. Dico tertio: Voluntarium perfectum non est idem quod liberum formale, sed potest dari voluntarium perfectum, quod sit necessarium; illud tamen voluntarium erit eminenter liberum, licet non formaliter: unde voluntarium perfectum, vel eminenter, vel formaliter semper est liberum, licet non semper sit formaliter liberum, sed potest esse necessarium. Conclusio ponitur, et verificatur in amore beatifico, quod formaliter est necessarium, perfecte tamen voluntarium.

XII. Pro intelligentia hujus conclusionis oportet prius explicare terminos, qui in illa ponuntur, scilicet: Voluntarium perfectum, libe-

rum formale, et liberum eminenter. Vocamus voluntarium perfectum illud, quod procedit a voluntate, seu principio intrinseco cum plena advertentia, et cum perfecta cognitione finis, qualis est cognitio intellectiva, quæ finem ipsum cognoscit in ratione finis, id est, secundum comparisonem, et proportionem, quam habet, ut finis sit. Liberum est id, quod potest agere, vel non agere quibuscumque positis ad agendum, id est, quando agere, vel non agere est in manu, et arbitrio proprio, et non solum ex applicante, vel impediante extrinseco. Hoc autem liberum petit potentiam non coarctatam ad hoc, vel illud objectum, sed amplam, et universalem ad omne bonum; inde enim derivatur, quod respectu cujuscumque boni determinati, et non adæquantis totam ejus universalitatem non necessitetur ad acceptandum tale bonum, vel operandum circa illud. Et hinc nascitur illa distinctio liberi quoad specificationem, et quoad exercitium, quoad contrarietatem, vel contradictionem: libertas enim quoad exercitium est indifferentia, et potestas respectu actuum quoad egressionem ipsorum ab operante; et ideo explicatur per contradictionem, quia est potestas, ut egrediatur actus, vel non egrediatur, et ut egrediatur iste, vel ille in individuo: libertas autem quoad specificationem est indifferentia, et potestas circa diversos actus in specie; et quia specificatio sumitur ab objectis, attenditur ista libertas penes diversa objecta, quatenus potest voluntas diversa objecta attingere, et prosequi. Et quia objectum præcipuum voluntatis est bonum, et malum, et ista inter se contrarietatem habent, ideo vocatur ista libertas contrarietatis, quando scilicet est potestas in voluntate ad operandum bonum, vel malum, non so-